



Disputatio juridica inauguralis de locatione conductione

<https://hdl.handle.net/1874/343790>

16.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE

LOCATIONE CONDUCTIONE.

QUAM

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicî consensu, Nobilissimæque

Facultatis JURIDICÆ Decretô,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTRÖQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitime consequendis,

Eruditorum examini subjicit

ADRIAEN VAN HECKE, FLESSING.-ZEL.

Ad diem 27. Junii horâ locoq[ue] solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiz
Typographi, c/o Ioc xci.

*Amplissimis Nobilissimisque
V I R I S,*

D. D. CASPARO VAN HECKE,
Reipublicæ Flessinganæ Consuli , bonorum sacrorum Walachriæ Quæstori
vigilantissimo , Parenti suo filiali amore
in perpetuum persequendo venerando.

D. D. PETRO VAN HECKE,
J. U. D. In Confessum Celsissimorum &
Præpotentum D. D. Ordinum Genera-
lium foederati Belgii Delegato ordi-
nario , nec non Guilielmi III. Britan-
norum Regis Flessingæ Quæstori fide-
lissimo , & Societatis Indiæ Occiden-
talis Administratori , prudentissimo ,
Patruo suo semper colendo , vene-
rando.

*Hanc Disputationem Juridicam Inau-
guralem , eo quo par est animo ,
dat , dicat sacrum facit.*

A D R I A E N V A N H E C K E ,

A U C T . & R E S P .



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

D E

Locatione Conductione.

THEISIS I.



Cientiæ alicui operam daturum prius nosse oportet unde nomen illius descendat *l. i. ff. de just. & jur.* itaque haud abs re fore arbitror, nonnulla de vocabuli etymologia præmittere. Locandi verbum à loco deducit. *Varro lib. 4. de ling. lat.* Hinc locare significat in aliquo loco ponere. Conducere dicitur *ex cum & ducere*, quod conductor una cum domino rem ad usum suum, utilitatemque suam duxerit: Hinc argentum fænori locare, pro fænori dare. *Plaut. Most. & Horat.* locare, conducere nummos,

A 2

hoc

DISPUTATIO JURIDICA

hoc est fænori dare & accipere. Locator itaque est, qui dat utendum vel faciendum, conductor, qui accipit utendum vel faciendum. *Cujac. obs. lib. 2. cap. 28.* Verbum autem locationis varie sumitur, aliquando impropriè, & transfertur non tantum ad contractus alios nominatos & nec nominatos. *Nov. 160. cap. 1. l. 5. §. 2. ff. b t. l. 34. ff. de usur.* sed & ad alia, quæ loco ponuntur. Hic autem strictè & propriè sumitur pro contractu consensuali. Hæc dicta funto quoad etymologiam; accedo ad rem ipsam.

I I.

Locatio conductio est contractus juris gentium, nominatus, bonæ fidei, consensu constans, quores vel opera alicui utenda vel facienda datur certa mercede constituta. Juris Gentium quia proxima est emptioni venditioni *l. 1. §. 2. ff. b. t.* adeo ut dubitari in quibusdam soleat, emptio an locatio sit contracta *l. 2. §. 1. ff. eod.* & iisdem fere juris regulis contineatur. *pr. Inst. l. 2. ff. b. t.* reliqua verba denotant tria ejus substantialia, quæ sunt consensus, res vel opera & merces.

I I I.

Inter substantialia requisita primum locum vindicat contrahentium consensus: quoniam autem locatio solo consensu perficitur, queritur an non tacito con-

consensu hic contractus possit continuari? ut si finito tempore conductionis conductor in re conducta manserit, an censebitur hanc tacite reconduxisse? R. nullum dubium est propter l. 14. ff. b. t. l. 124. ff. de R. J. Cuijac. ad tit. i. Feud. pag. 660. ita ut etiam pignorum videatur durare obligatio l. 16. Cod. l. 13. §. ult. ff. b. t. non tamen pignora, quae tertius pro conductore obligavit l. 13. §. ult. ff. eod. nec fiduciarios. l. 7. Cod. b. t. Diversa tamen ratio est tum rusticorum, tum urbanorum praediorum, nam in praediis rusticis post finitam primam conductionem, locatio continuata videtur ad annum, quo scilicet fructus percipi possunt: in urbanis vero pro rata temporis, quo quis inhabitavit. d. l. 13. §. ult. ff. b. t. Quæritur autem magis an & ab initio tacite fiat locatio? Negant D. D. nam omnis locatio ab initio expresse fieri debet, quaenam enim est locatio ubi certa merces non est definita l. 23. ff. comm. div.? Porro cum locatio sit contractus consensu constans venditioni similis, satis intelligitur ad hunc contractum non requiri scripturam, nisi ex contrahentium patto, prout igitur convenit, alia locatio est scripta, alia non scripta l. 32. Cod. b. t. alia perpetua, alia temporalis l. 1. §. 15. ff. de exercit. act. l. 10. Cod. b. t. alia pura, alia sub conditione, aut in diem l. 20. ff. b. t.

I V.

Omnes locare & conducere possunt, qui natura

A 3

vel

6 DISPUTATIO JURIDICA

vel lege specialiter non prohibentur, ideoque & mutus & surdus contractum hunc celebrare potest *l. 124. ff. de R. f. absens l. 2. §. 2 ff. de O. & A.* Deportatus *l. 15. ff. de interd. & releg. l. 17. §. 1. ff. de pæn.* Alteri rem utendam friendam locare quoque potest, qui non est dominus rei *l. 8, 9. §. ult. & l. 15. §. 8. ff. b. t. usufructuarius l. 12. §. 2. ff. de usufr.* emptor potest conducere rem emptam *l. 16. ff. de peric. & comm. rei vend.* sic vendor rem venditam *l. 75. ff. de contr. empt.* Removentur ab hoc contractu prodigi & furiosi; quia eorum nullus consensus nullaque voluntas nisi dilucida habent intervalla *l. 5. ff. de R. f. junct. l. 40. ff. eod.* Milites quoque non possunt conducere & administrare alienas domos aut possessiones, ne à signis & numeris suis avocentur; ne militia contemptā dedant se sordidis ministeriis, neque armorum usu abutantur adversus vicinos & colonos ipsos, quorum procurationem suscepint *l. 31. Cod. b. t.* verum hæc lex nostris & Gallorum moribus in desuetudinem abiit. *Groenew. ad. d. l. 31. n. 5. Curiales. l. 30. Cod. b. t.* usuarius non potest locare operas servi usuarii, nec alias res quarum usum habet *l. 12. §. ult. l. 14. pr. ff. de usu & hab.*

V.

Sufficient hæc de personis, transeamus ergo ad locationis & conductionis secundum substantiale, ut sunt res, vel operæ honestæ, solitæ locari *l. 15. ff. de cond. Inst.* locari possunt omnes res, quæ sunt in

in commercio. arg. l. 34. §. 1. ff. de contr. empt. sive mobiles, sive foli. l. 9. §. 2. & 5. ff. b. t. non propriæ tantum, sed etiam alienæ, sed haec tenus ut conductori ignorantis locator obligetur in id, quod interest, si dominus conductorem frui non patiatur l. 15. §. 8. ff. l. 7. ff. b. t. sive sint corporales, sive incorporales l. 12. §. 2. l. 15. §. 5. ff. de usufr. l. 5. ff. b. t. ut prædia l. 13. §. 11. ff. b. t. prædia publica l. 53. ff. eod. usus. in princ. Inst. de usu & hab. non tamen ab eo, cui usus est constitutus. l. 8. §. 5. ff. de precari. & generaliter omnes res, quæ vendi possunt: imo & aliæ, quæ alias vendi nequeunt; ut sunt bona adventitia filiorum, in quibus Pater usumfructum habet, bona immobilia minorum, bona feudalia sine consensu domini, & similia. Additâ tamen hac limitatione, ut resoluto jure locatoris, resolvatur quoque jus conductoris, quia enim natura non patitur, ut quis plus dare aut transferre possit, quam ipse habeat l. 54. ff. de R. f. Res communis quoque locari potest, interveniente omnium dominorum consensu, quia alioquin in communi re inficio socio, nihil quidquam in ejus præjudicium facere licet l. 11. ff. de servit. rust. præd. l. 1. Cod. si res Comm. pign. dat. Emphyteusis l. 19. Cod. de jure Emphit. quoque feudum lib. 4. feud. c. 1. n. 19. Locari enim non possunt prædiales servitutes, quæ fundo debentur per se, nisi cum ipso fundo l. 44. ff. b. t. rem propriam conducere nemo potest l. 9. §. fin. ff. eod. l. 45. ff. de R. f. nec res fungibilis, nisi forte ad ostentationem. arg. l. 3. §. ult. ff. de commod.

VI. Etiam

8 DISPUTATIO JURIDICA

V I.

Etiam operæ locari conducī possunt, modo sint honestæ & locari solitæ *l. 5. §. 2. ff. de præscript. verb.* id est quæ commodum aliquod pecuniarium spectant, & mercede æstimari possunt & solent; aliàs de iis daretur actio præscriptis verbis. *§. 1. Inst. b. t. l. 22. ff. de præsc. verb.* facta non mercenaria sunt, quæ virtute animi potius quam corporis præstantur, veluti libertate, ut manumissio *l. 5. §. 5. ff. de præsc. verb.* è contra locari aut conduci non possunt operæ, quæ propter gravitatem & dignitatem suam mercede æstimari nequeunt, ut operæ advocatorum *l. 38. ff. b. t. Archiatrorum l. 9. Cod. de Prof. & Med.* juris studiosorum sive Assessorum. *l. 4. ff. de extra-ord. cogn.*

V I I.

Tertium hujus contractus substantiale requisitum est merces, à merendo ut *varro lib. 2. ling. lat.* vel quod merenti cedat, dicta, est illud ipsum, quod pro usu rei, vel opera personæ datur, ideo aliquando pretium dici solet *l. 28. §. 1. l. 51. §. 1. l. 58. pr. ff. b. t.* in mercede autem requiritur ut sit justa *l. 46. ff. b. t.* debet esse certa *l. 25. ff. b. t. & §. 2. Inst. eod.* consistere debet in pecunia numerata. *l. 1. §. 2. ff. de præsc. verb. l. 2. ff. b. t. junct. l. 5. § 1. ff. de contr. empt. §. 1. Inst. b. t.* nisi forsan prædium rusticum locatum sit, tum enim merces in certa quantitate frumentum

INAUGURALIS. 9

Etuum consistere potest l. 35. §. 1. ff. b. t. l. 8. l. 21.
Cod. eod. quod si non certa fructuum quantitas, sed
 portio pro ratâ ejus, quod in fundo nascetur dimi-
 dia forte vel tertia, constituta fuerit, *colonus par-*
tiarius dici solet, & quodammodo socius est l. 25.
 §. 6. ff. b. t. quod tamen genus conventionis volunt
 doctores in contractum innominatum incidere l. 8.
Cod. de pact.

V I. I. I.

Duplex ex hoc contractu nascitur obligatio, qua-
 rum illa producit actionem locati, hæc conducti.
Actio locati, est *actio personalis*, *bonæ fidei*,
quæ datur locatori adversus conductorem, ut fi-
nitâ locatione rem restituat non deterioratam, &
reparet damnum dolo, *lata & levi culpa datum*
etiam ut præstet mercedem pro usu rei debitam.
 Dico bonæ fidei §. 28. *inst. de actionib.* cuius nomi-
 ne veniunt usuræ mercedis, quæ non tantum ex sti-
 pulatione debentur, sed etiam ex mora l. 32. ff. *de*
usuris. sive etiam pacto promissæ sunt, sicut &
 omne quod ex pactis in continentि adjectis debeat
 conductor l. 7. §. 5. ff. *de pact.* l. 25. §. 1. & *passim* ff.
 & *Cod. b. t.* datur locatori ejusque hæredibus l. 38.
 ff. b. t. ita ut si quis operas annua mercede locave-
 rit totius anni mercedem, ejusve petitionem ad hæ-
 redes transmittat l. 38. l. 17. §. ult. ff. b. t. ratio ex-
 tati in l. 161. ff. d. R. J.

B

Dici-

I X.

Dicitur, ut finita locatione rem restituat non deteriora am. Si conductor non restituat rem, in item contra eum jurari potest. l. 48. §. 1. ff. b. t. restituitur autem rem demum finito usu: Interdum & ante expletum locationis tempus locator agere potest, ut conductor rem locatam restituat, ut si ex causa interveniente, non prævisâ tempore contractus, propriis usibus probaverit rem locatam sibi necessariam dominus l. 3. Cod. b. t. secundo. Si domus necessario sit reparanda. d. l. 3. junct. l. 33. § l. 35. pr. ff. eod tertio, si male sit versatus in re conducta. d. l. 3. Cod. quare & studiosus ante tempus è cubiculo expelli potest, qui personas inhonestas, puellas puta meritorias, in ædes introduxit. Schneyd. ad §. ult. Inst. b. t. argumento l. 7. ff. de usu & habit. quarto. Si mercedem non solverit intra tempus debitum. l. 54. §. 1. l. 56. ff. b. t. Nov. 120. cap. 8.

X.

Porro conductor in re conducta præstat dolum, culpam latam & levem, non levissimam l. 5. §. 2. ff. commodat. l. 23. ff. de R. f. l. 31. in fin. ff. locat. l. 3. §. 1. ff. nautæ caup. stabul nisi aliter conventum fuerit l. 40. ff. b. t. vel res natura sua exactissimam diligen-
tiam requirat l. 25. §. penult. ff. b. t. vel conductor tanquam artifex operas suas locaverit & peritum se

Pro-

INAUGURALIS. II

professus est *l. 13. §. 6. ff. eod.* neque casus fortuitos præstare tenetur *l. 28. Cod. b. t. l. 25. §. 6. ff. eod.* nisi forsan eos in se suscepere *l. 13. §. 5. ff. locat. l. 1. Cod. commodat.* Dicitur etiam, *ut præstet conductor mercedem pro usu rei debitam*, in judicium igitur venit mercedis & quidem totius solutio; ad quam conductor tenetur, et si rem dereliquerit sine justa causa *l. 55. §. ult. ff. b. t.* justa causa deserendi est, incendi *l. 49. ff. ad L. Aquil.* vis Graculorum, sturnorum, fluminis *l. 15. §. 23. ff. b. t.* hostilis impetus *l. 13. §. 7. ff. eod.* pestis & similium. His casibus deserta domo, pro ratâ temporis tantum solvitur merces.

X I.

Actio conducti est actio personalis, bona fidei, quæ datur conductori adversus locatorem, ut ipsi præstet liberum rei usum usque ad tempus convenitum, aut alioquin suum interesse, item ut damnum vitio rei datum resarciat, ædes reficiat: pensionem remittat ob rei interitum vel magnum damnum, item necessarias & utiles impensas restituat, quas in re conducta fecit. Datur conductori ejusque heredibus *l. 19. §. 8. ff. b. t. l. 10. Cod. b. t.* in hanc actionem primo venit, quod locator liberum usum rei præstare debeat vel si nolit locator, tenetur ad id, quod interest *l. 24. §. 4. ff. b. t. l. 32. Cod. b. t.* vel si per casum fortuitum non possit, tantum ad mercedem pro ratâ temporis restituendam seu remittendam *l. 24. §. 4. l. 15. §. 7. ff. b. t. l. 30. l. 33. ff. eod.*

X I I.

Præterea locator ad resarcendum damnum vitio rei datum tenetur *l. 19. §. 1. ff. b. t.* tenetur quoque ad ædes reficiendas *l. 15. §. 1. ff. eod.* etiam impensas necessarias & utiles resarcire locator tenetur *l. 55. §. 1. l. 61. pr. ff. b. t.* pro quibus impensis ei quoque competit retentio *l. 5. ff. de Imp. in rem dot. fact. l. 14. de doli mali & met. except. & l. 20. ff. de acquir. vel amit. poss.*

X I I I.

Contractus locationis conductionis extinguitur contrahentium consensu contrario; nam unumquodque dissolvitur eodem modo, quo colligatum est *§. ult. Inst. quib. mod. obl. toll.* finito tempore, non morte; transit enim ad utriusque contrahentis hæredes *§. ult. Inst. l. 10. Cod. b. t.* resoluto jure locatoris, etsi longius sit tempus adjectum, ut, si usufructuarius locaverit, nec quidem hæres fructuarii in id, quod interest tenetur, nisi defunctus jure communi, non qua fructuarius locaverit *l. 9. §. 1. ff. b. t.* non præstata mercede intra tempus debitum *l. 15. ff. b. t.* interitu rei, & aliis modis, qui huic negotio non sunt proprii.

C O.

COROLLARIA.

Dicitur. Hinc. ANNO
Quoniam.

I.

*Qui muros in municipiis violavit tene-
tur pœna capitali.*

II.

*Si quis vitiatam duxerit pro virgine ,
nuptia subsistunt.*

III.

Princeps legibus Civilibus solutus est.

IV.

*Dolus dans causam contractui bona fi-
dei reddit contractum ipso jure nul-
lum.*

V.

*Lex 2. Cod. de rescind. vendit. non
habet locum in transactione.*

F I N I S.

A Eruditissimo ac Generoso C

VIRO-JUVENI,

D. ADRIANO
VAN HECKE,

cum summo honore

D E

L O C A T I O N E
& CONDUCTIONE,

Differeret, parique cunctorum applausu J. U.

Doctor in auguraretur,

Encomium justum.



Ui videoas tantis fulgentia tempora lauris?

Quemque suam sobolem tam justè Astrea
vocavit?

Quam VAN HECKE, modis quem nunc
mea Musa celebrat.

O utinam cytharam largitus Apollo sonoram

Miforet, ut justos ADRIANO fundere versus

Possim,

Possim, proque suis meritis extollere laude! Hic est, qui Themidos perdigne filius Almæ Dicitur. Hunc juris delectant foedera sancti. Quis magis hòc aptus, quo tanta ænigmata solvat, Abdita quæ passim quoscunque latere solebant? Munera militiæ poteritne subire togatæ Dignius ullus eo, quem tanta scientia legum Reddidit insignem? Quis, quæso, peritius unquam *Conducti* docuit præceptaque justa *Locati*? Hujus quam nitidè veram video patefactam Contractus formam? Benecultè hic cuncta docenda Demonstrata patent: & quæ fluat aëlio bina Hinc simili explicitum parilique nitore liqueficit. Hæcce procul dubio promittunt omnia fausta, Teque VAN HECKE brevi capturum tempore fructus Sic suadent studii vestri doctique laboris. Quod tibi, qui magno spero mihi junctus amore es.

J. D. V.

Phil. Cand.

TOE-

T O E J U I C H I N G E,
Aan den HEER, mijn HEER
ADRIAAN VAN HECKE:

als zijn Ed. ter Rechtsgeleerdheid wierde
ingewijd.

Astréa spreekt.



Ntfang myn Voester-Zoon den prijs U
toegewezen,
Dien prijs dien gy verdiend door on-
vermoeide vlijt,

Dien prijs dien gy voorwaar ten vollen waardig
zijt;

O schrandere Jongeling van my geliefd, gepreezen;
O eelste telg, waar in ik mijn vermaak kan leezen!
Waar op ik stel mijn hoop in dees' bedroefdaetijd;
Dewijl ey moedig voor mijnu' gouwde wetten
strijd:

Ga voort zo zien we uw roem tot boven 't swerk
gereezen.

Ik neem U heeden aan tot Voorspraak van mijn
Recht;

Waarom vrouw Pallas U een krans van groen-
te vlegt,
Die nooit verdorren moet : maar enddelen zal
groeien.

Handhaafd het heilig Recht gants heilig onbesmet,
Verdraai uit liefde of gunst nooit mijne goude wet:
Dan zal uw roem en lóf ontelbre jaaren bloeien.

S. V. H.